



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1626

Chamaeleon. Ex eodem Solino. Descriptio LXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

vt oculatis ex fuluo circulis, vel cærulea, vel alba distinguatur tergi suppellex. Tradunt odore carum, & contemplatione armata mire affici, atque vbi eas persentiscant, properato conuenite, nec terreti, nisi sola oris toruitate, quam ob causam Pantheræ absconditis capitibus, quæ reliqua sunt spectanda præbent, vt pecuatos greges stupidos, in obrutu populentur secuta vastatione. Sed Hyrcani, vt hominibus intentatum nihil est, frequentius eas veneno, quam ferro necant, Aconito carnes illinunt; atque ita per compita spargunt, semitarum; quæ vbi esæ sunt, fauces earum angina statim obsidentur, ideo gramen *παρδαλιον* illi appellauerunt, sed pantheræ aduersus hoc virus excrementa humana deuorant, & suopte ingenio pesti resistunt. Lenta illis viuacitas, adeo vt eiectis iterancis mortem diu differant.

CHAMAELEON.

Ex eodem Solino.

Descriptio LXXIX.

PER omnem Asiam Chamæleon plurimus, animal quadrupes, facie quâ lacertæ, nisi crura recta, & longiora ventri iungerentur, proluxa cauda, & eadem ad vertiginem torta, hamati vngues, subtili aduncitate, incessus piger, & ferè idem, qui testudinum motus; corpus asperum, cutem, qualem in crocodilis deprehendimus, subducti oculi, & recessu concauo introrsum recepti, quos nunquam nictatione obnubit. Visum denique non circumlatis pupillis, sed obtutu rigidi orbis intentat. Hiatus eius æternus, ac sine vllius vsus ministerio, quippe cum, neque cibum capiat, neque potu alatur, nec alimento alio, quâ haustu aëris viuat: color varius, & in momento mutabilis: ita vt, cuiuscumque rei se coniuxerit, concolor ei fiat: colores duo sunt, quos fingere non valet, ruber, & candidus, cæteros facillè mentitur. Corpus penè sine carne, vitalia sine liene, nec nisi in corculo pauxillum sanguinis est. Latet hyeme, producitur vere: Imperibilis est coraci, à quo cum interfectus est, victorem suum perimit intemptus: nam si vel modicum ales ex eo comederit, illicò moritur.

Idem, ex Tertull. lib. de pallio.

Est & quadrupes tardigrada, agrestis, & humilis, aspera, testudinem Pacuiianam putas: non est; capit & alia bestiola versiculum de mediocribus oppido, sed nomen grande: Chamæleonem qui audietis, haud ante gnarus, iam timebis aliquid amplius cū leone. At cum ostenderis apud vineam ferme sub pampino totum; ridebis illicò audaciam, & Græciam nominis: quippe nec succus est corpori, qui munitionibus multò licet. Chamæleon pellicula viuat, capitulum statim à dorso: nam deficit ceruix. Itaque durum reflecti, sed circumspectu emissitij ocelli, imò luminis puncta vertiginant. Hebes, fessus vix se à terra suspendit: molitur incessum stupè, & promouet, gradum magis demonstrat, quam explicat, ieiunus scilicet semper, & indefectus: oscitans vespicit, follicans ruminat, de vento cibus: Tamen & chamæleon mutare totus, nec aliud valet. Nam cum illi coloris proprietras vna sit, quid accessit inde suffunditur. Hoc soli chamæleonti datum, quod vulgo dictum est de corio suo ludere.

CAMELVS.

Expreslus ex Oppiano.

Descriptio LXXX.

PRÆclarum, mite, domesticum est Camelorum genus hominibus ad circummuchenda onera perquam familiare. Corpus illi supra cæterorum animantium speciem procerum, & punctis interstincto terгоре maculosum, caput cæteroqui amplum paulatim ad verticem gracilescit, ex eo geminæ cornuum species emergunt, supra verò tempora secundum aures, duo molliter consurgunt apices, in ore lacteus prominet numerosa serie dentium nitore, oculi iucundissima luminis face scintillant; terga lata, & insigni colliculo protuberantia, crurum non æqualis mensura, postici enim pedes anterioribus minores, ex quo nonnihil claudicare videtur. Cauda talis est, qualis ceruus, aut damis esset, summis à ter-

Oppian. de venat. lib. 2.